

440. *Obj. II.* Servus nihil meretur apud dominum præcepta ejus implendo, nec debitor aliquid apud creditorem reddendo debitum; ergo nec homo meretur aliquid apud Deum per quemcumque actum, utpote vel præceptum, vel aliis titulis plus quam ex justitia debitum; præsertim quia Christus Luc. 17. v. 10. ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus; quod debuimus facere, fecimus;* et similia THEOPHIL. in hunc locum, ac BERN. serm. 22. de diversis n. 6. docet.

R. T. A. N. *Cons.* Disparitas est; quia apud homines valor operis consideratur juxta quantitatem laboris in utilitatem alterius impensi, et utilitatis ex labore vel opere emergentis; utrique autem decedit, si labore aut utilitas sit debita: apud Deum vero valor operis ex morali ejus bonitate, et ad hanc bonitatem resultante in Deum gloria; cum vero illa habeatur, et ista Deo dari censeatur, quatenus opus aliquod voluntarie, libere ac alacriter facimus, atque hoc non minus in operibus tam *debitis* et præceptis, quam *indebitis* et non præceptis haberi queat; inde nec valori, nec merito aliquid decedit.

Ad prob. R. Imprimis in textu allato non negari *meritum operis*, sed utilitatem Deo allatam; alias vero etiam servum appellari bonum et fidelem, ut Matth. 23. et alibi legitur. Præterea *inutilitas* illa repeti potest vel ex hoc, quod propriis viribus et sine gratia nullum efficere bonum possumus, vel quod Deus potuerat nobis mandata proponere mercede nulla promissa. Demum his verbis Christus intendit nobis commendare *humilitatem* in bonorum operum exercitio, vel excitare nos ad opera etiam liberalia et supererogationis, vel accendere in nobis studiosam *solicitudinem* et *perseverantiam*, cum *inutilis* servus Matth. loc. cit. accipiat pro cessatore et otioso.

Inst. Præceptum vel tollit *omnem libertatem*, ut in Christo, B. Virgine et aliis in gratia confirmatis, in quibus sicut locum non habet illud: *potuit transgredi et non est transgressus*, ita nec illud: *ideo stabilita sunt bona illius in Domino*; vel aufert saltem *libertatem moralem*, licet non naturalem, in aliis; quæ tamen ad meritum tanquam aliquid morale maxime est necessaria; ergo.

R. N. A. Pars prior est falsa; cum nec Christus, nec B. Virgo, nec alii in gratia confirmati caruerint libertate, ut alibi ostenditur. Falsa etiam est posterior; quia moralis libertas non stat in hoc, quod aliquid possit tam fieri, quam omitti impune, ut objectio supponit; sed in facultate agendi et non agendi per intrinsecum rationis usum, seu actio vel omissio licita sit, seu non; quæ sane etiam sub præcepto manet: si vero *libertatis moralis* nomine forsitan intelligeretur exemptio ab obligatione vel necessitate præcepti; negamus hanc ad actionem moralem requisitam, ut patet in peccatis et demeritis.

441. *Obj. III.* Opera bona, quæ in nobis fiunt, tota sunt a Deo; tum quia hoc expresse declarat Aug. in Enchir. c. 32. et L. de don. persev. c. 13. n. 33.; tum quia id insinuat Paulus 1. ad Cor. 15. v. 10. scribens: *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum;* ergo nequeunt esse nostra.

R. D. Totum est a Deo totalitate effectus C. totalitate causæ N. Quod testimonium Pauli attinet, illa verba: *abundantius laboravi, et gratia Dei mecum,*

satis demonstrant, non gratiam solam, sed et hominem operari. Itaque sicut dum Matth. 10. v. 20. dicitur: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* his verbis non excluditur loquela propria ab Apostolis, sed tantum denotatur eos loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, ut Act. 2. v. 4. exponitur; sic et illa negatio, *non ego*, hunc unum designat, quod Paulus nihil fecerit absque gratiæ auxilio.

ARTICULUS II.

AN IN HOMINE POSSIBILE SIT, AC DETUR MERITUM THEOLOGICUM?

442. *Nota.* Adeo Novatores omnes negant, vel justos homines suis operibus, quantumvis ex gratia fiant, posse aliquid ad vitam æternam pertinens apud Deum mereri, ut Calvinus et alii vel ipsum meriti nomen tanquam extraneum a Scripturis, et per Scholasticos inventum respuant, et velut fastuosum Christoque injuriosum damnent. Ad hunc errorem fulciendum substernunt alium, quo contendunt, nullum in homine opus simpliciter bonum, sed omnia ejus opera esse *peccata*, licet ut talia a Deo non semper imputentur.

443. *Dico I.* Plura dantur hominum opera, quæ simpliciter sunt bona et nullatenus peccata. Est de fide, et definitum a TRID. Sess. 6. Can. 7. et 23.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Hæc 1º hominum quorundam opera absolute vocat opera bona, ut Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* ad Ephes. 2. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus;* ad Tit. 3. v. 8. *Curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.*

2º. Docet opera quædam placere Deo, ut Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel et munera ejus, h. e. ut CHRYS. hom. 18. exponit, grata hæc habuit et laudavit;* Malach. 3. v. 4. *Placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies seculi et sicut anni antiqui;* Sap. 9. v. 11. *Deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia; et erunt accepta opera mea.*

3º. A personis et ab operibus quibusdam excludit peccatum, ut Jobi 2. v. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam?* Et David Ps. 17. v. 21. *Retribuget mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuget mihi: quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Luc 11. v. 36. *opus perfecte bonum sic exprimitur: Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* 2. Petr. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando;* ergo.

II. EX PATRIBUS. AUG. L. de sp. et litt. c. 36. n. 63. ait: *Dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, qua justus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans nondum per speciem; non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet.* HIER. L. 3. adv. Pelagian. n. 4. *Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco,*

pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cythara. AMBROS. in Apolog. 1. David c. 6. n. 1. *Et enim, quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura sint peccata, quam opera virtutum.* GREG. et BERN. vid. ap. Bellarm. L. 4. de Justif. c. 16.

III. EX RATIONE. Christus mortuus est, ut faciamus bona opera juxta illud ad Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*: Deus adhortatur nos ad opera bona facienda; idem ea in nobis operatur, ita ut tota Deo tribuenda sint: sed Deus nequit adhortari ad peccata, aut ea principaliter facere; nec Christus dici potest mortuus, ut peccata sectemur; ergo opera bona nequeunt dici peccata.

Conf. Opera bona nequeunt dici peccata ob innatam cupiditatem; tum quia hæc non est peccatum, sed infirmitas tantum, nisi ei consentiatur; tum quia opera bona aliquando fiunt ex charitate, non autem cupiditate: neque ob defectum dilectionis aut fervoris in ea; quia licet hic defectus ostendat opus esse minus perfectum, quam aliud cum ista perfectione sive hic, sive in patria: tamen non ostendit positivam imperfectionem, seu peccatum et culpam: neque ob admixtionem peccati sive venialis, sive mortalis, quia admissa etiam frequenti in venialia prolapsione, nec auctoritate tamen, nec ratione aut experientia ostenditur, in singulis operibus hanc admixtionem contingere.

444. Obj. SCRIPTURA 1°. dicit Eccles. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet*: 2°. docet omnes quotidie peccare, juxta illud Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*; et hinc etiam justis orandum: *Dimitte nobis debita nostra*: 3°. declarat ipsa etiam bona opera esse vitiosa apud Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatus universæ justitiæ nostræ*; ergo.

R. ad Arg. Sensus sacrorum textuum alios esse ab intentione hæreticorum, nec probare eorum errorem. Nam *primus* non significat hominem justum etiam bonum faciendo peccare; sed neminem esse tam justum, ut semper bonum faciat et nunquam peccet; quemadmodum et cum ex Prov. 24. v. 16. dicitur *septies cadere justum*: cum enim etiam addatur ibidem *justum resurgere*, nec ipsa resurrectio possit appellari casus, et numerus septenarius non infinitum quid, sed *determinatum* sonet; constat justum non cadere ad omnes et singulos passus, et sic in bonis etiam operibus non peccare: Vide HIER. L. 1. ad Pelag. n. 12. ac in ep. ad Ctesiphontem n. 2.

Secundus textus hoc ipso, quod dicat nos *in multis* tantum, non autem *in omnibus* offendere, proxime datam expositionem confirmat; præsertim cum idem Apostolus probet, hominem ex operibus justificari. Similiter ex petitione quinta *Dominicæ orationis* recte quidem sequitur, humanam conditionem non esse impeccabilem, et a quotidianis nævis venialibus immunem, ut AUG. et HIER. exinde contra Pelagianos deduxerunt; minime autem, singula etiam opera hominis haberi, aut esse peccata.

Quod tertium attinet, jam num. 425. demonstratum est, illud ad rem præsentem non pertinere, ut ipsi Lutherus et Calvinus in suis ad hunc locum commentariis fatentur; quantumvis alibi eum contra operum justitiam

tiam usurpent. Accedit, quod Isa. ibid. v. præc. dicat: *Occurristi lætanti et facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui*; quibus verbis cum opera justorum laudet, Deoque placere significet, non potuit eadem opera verbis prioribus intelligere, et tam propudioso compellere vocabulo.

Inst. SS. PATRES, nempe AUG. L. 9. Conf. c. 13. n. 34. et GREG. L. 9. Mor. c. 8. (al. 14. n. 21.) enuntiant, *vite humanæ etiam laudabili esse timendum, si remota pietate discutiatur*. Idem, ille nempe L. 3. contr. duas ep. Pelag. c. 7. n. 19., hic L. 9. Mor. c. 49. (al. 36. n. 57.) docent in homine etiam justo *virtutem aut munditiam perfectam et veram non esse, sed tantum nominari aut imitari*: deum ep. 29. (al. 167.) ad Hier. et L. 9. Mor. n. 2. dicunt *charitatem nostram et omne virtutis nostræ meritum esse vitium*.

R. Nec SS. PATRES favere hæreticis. In 1°. enim non meminerunt operum aut justorum aut singulorum, sed *vite* duntaxat, quæ utique, licet laudabilis sit propter opera bona, pietate Dei nihilominus eget propter peccata saltem venialia, a quibus nulla justorum vita penitus immunis invenitur.

In 2°. uterque S. Doctor non loquitur de virtutis ac munditiæ perfectione et veritate absolute sumpta, sed comparata ad perfectionem justitiæ in vita beata; hinc AUG. ibid. subjungit n. 3. *Justitia, secundum quam justus ex fide vivit... vera justitia est; quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vite capacitale perfecta dicitur, parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum*. GREG. autem L. 5. Mor. c. 27. (al. 37. n. 67.) ait: *Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est; quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur*.

In 3°. vox *viti* ab AUG. non usurpatur pro peccato *strictè* dicto seu culpa, sed pro imperfectione, quam vel nostro statui concupiscentia tribuit, vel ex comparatione ad charitatem patriæ nuper facta deducere licet; ut ipse AUG. L. de perfect. just. et L. de sp. et litt. c. ult. declarat. GREG. autem dicit, *omne virtutis nostræ meritum esse vitium, si ab interno arbitro districte judicetur*, h. e. si homo nolit agnoscere, se habere omnia a Deo, quæ habet, et consideret duntaxat sua, remotis donis gratiæ Dei.

445. Dico II. Datur opus bonum, quod ab homine ex gratia seu per gratiam operante factum, est meritum theologicum. Est de fide, et constat aperte ex TRIP. Sess. 6. can. 26. et 32.

Prob. I. EX SCRIPTURA. Ea 1°. hujus meriti nominatim mentionem facit Eccli. 16. v. 16. *Misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum*; et ad Hebr. 13. v. 15. *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*.

2°. Sub nomine dignitatis exprimit, quod secundum græcam phrasin merito æquivallet; quo pertinent illa Sap. 3. v. 5. *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se*; Luc. 20. v. 35. *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis*, etc. 2. ad Thess. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini*.

3°. Correlativum operis boni vocibus ejusmodi, compellat, quæ opus indicant esse meritum: vocat enim *retributionem* Luc. 14. v. 13.; vel *remunerationem* ad Hebr. 10. v. 35.; vel *præmium* Tob. 4. v. 10.; vel *mercedem* Genes. 15. v. 1.; vel *coronam certaminis, justitiæ et fidelitatis* 1. ad Cor. 9. v. 25., 2. ad Tim. 4. v. 8., Apoc. 2. v. 10.

II. EX TRADITIONE. Et quidem 1^o. ex PATRIBUS, quorum testimonia num. 443. attulimus.

2^o. EX CONCILIIIS, inter quæ ARAUS. II. Can. 18. ait (Labb. t. 4. p. 1670.): *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* LATER. IV. in c. *Firmiter dicit* (Labb. t. 11. part. 1. p. 144. A.): *Non solum virgines et continentes, verum etiam conjugatæ per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* FLOR. denique in decreto Unionis (Labb. t. 13. p. 515. C.) docet animas, quæ nihil expiandum habent, *in cælum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alii malio perfectius.*

III. EX RATIONE, quæ desumitur partim ex conditionibus ad meritum requisitis; partim ex fundamento damnati erroris in priore thesi dissecto.

Conf. Ex congruentia; tum quia, sicut humana opera dantur digna laude, sic et merito digna videntur; tum quia decet Deum tanquam gubernatorem rei humanæ statuere præmia bonis operibus, et ut honorarium operum obsequio retribuere aliquid, sua bonitate dignum.

446. *Obj.* Scriptura contrariatur merito: dicit enim 1^o. dona supernaturalia a Deo dari gratis; Isa. 55. v. 1. *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac:* 2^o. retributionem fieri ex misericordia; Psal. 102. v. 4. *Coronat te in misericordia et miserationibus:* 3^o. vitam æternam esse gratiam; ad Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna.*

R. N. Ass. *Ad prob. 1^{am}.* D. Dona supernaturalia gloriæ dantur a Deo gratis N. Dona gratiæ, præsertim primæ C. Textus Isaiaë juxta quosdam *litteraliter* loquitur de terra promissionis, *mystice* gratia; juxta alios etiam *litteraliter* sub metaphora de vocatione ad Ecclesiam et fide in Christum, in cujus rei signum baptizatis gustandum vinum et lac oblatum fuisse HIER. in comment. ad hæc verba scripsit. Qui permittunt verba hæc intelligi de gloria, monent notandam verborum proprietatem; inter quæ cum ponatur, *emite*, pretium desideratur: quamvis autem addantur *sine argento et absque ulla commutatione*, tamen per priora excluduntur tantum bona fortunæ, non autem libertatis; per posteriora vero res Deo emolumentum proprium tribuens, non vero obsequium, aut res in gloriam extrinsecam cedens.

Ad prob. 2^{am}. D. Retributio fit ex misericordia pura et mere liberali N. ex misericordia justitiæ mixta C. Psalmistæ verba in hunc sensum AUG. L. de gr. et lib. arb. c. 9. exponit: *Numquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est, Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate; ideo dicit Psalmus: coronat te in miseratione et misericordia; quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* Nempe vita æterna est misericordia ob gratiam prævenientem, merces ob liberam hominis obedientiam.

Ad prob. 3^{am}. D. Vita æterna est gratia respectivè ad opera seu justitiam N. respectivè ad hominem, cui ipsa justitia est gratia C. Sensus hunc ab AUG. assertum ostendunt verba in ep. 105. (al. 194. n. 19.) *Ipsa vita æterna.... meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis*

facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo, quia non meritis datur, sed data sunt et ipsa merita quibus datur.

Inst. 1. Inter Patres HILAR. in Psal. 51. n. 23. ait: *Non ipsa justitia opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum et motuum vitia non reputet.* AUG. conc. 2. in Ps. 70. n. 1.: *Pretium quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est.* Et serm. 15. de verb. Apost. (al. serm. 169. n. 3.): *Quid est, Pro nihil salvos facies eos? Nihil invenis unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas.* GREG. L. 9. MOR. c. 11. (al. 48. n. 28.): *Si ad opus virtutis exerevero, ad vitam non meritis, sed ex venia convalesco; ergo.*

R. HILARIUM exponendum, quo modo AUG. et GREG. num. præc. interpretamur; solum enim docet bonis operibus in vita justorum addi etiam *peccata venialia*, quæ remissione ac misericordia indigent, cum nihil coinquatum intrare possit in regnum cælorum. AUG. in utroque loco loquitur de homine, qualis est *sine gratia*, et quatenus solis suis viribus operatur; et ubicumque merita damnat, agit de iis, quæ in nobis sunt tantum ex nobis. Cæterum nunquam negavit, hominem mereri per gratiam posse, atque his operibus reddi coronam et mercedem, ut ex superioribus liquet. Demum GREG. de meritis eodem modo, quem mox indicavimus, acceptis loquitur, et adhortaturus ad humilitatem docet, nos ad vitam convalescere non ex meritis propria virtute acquisitis, sed ex venia, per quam justitiam et bona opera habere incipimus.

Inst. 2. Si hominibus concedantur merita, injuria irrogatur Christo, quia ejus meritis detrahitur; quatenus per hoc vel illa declarantur *insufficientia*, utpote quibus adjungi debeant merita nostra: vel dividitur inter Deum et hominem gloria, si non solis illius, sed et nostris salutem assequimur: vel non tota salus nostra Christo tribuitur; ergo merita hominis sunt neganda.

R. N. M. *et prob.*; quarum falsitas patet ex utilitate orationum et necessitate tolerationum nostrarum, sine injuria Christo irrogata. Præterea merita hominum non requiruntur propter *insufficientiam* meritorum Christi, sed propter eorum potius efficaciam, utpote quæ apud Deum nobis impetrarunt, ut accepta per Christum merendi virtute etiam per propria merita salutem consequeremur, quam ipse nobis promeruit: neque per hoc dividitur gloria inter Christum et homines; quia merita nostra sunt *dona Christi*, et meritorum nostrorum ratio dignificans omnis a Christi gratia habetur: neque minus integre Christo nostra salus tota tribuitur, quam si nobis nihil merentibus illa daretur; quia, quod salvemur, et quod etiam nobiliori modo per merita scilicet gratiæ salvemur, hoc totum debemus Christo, et ob hoc eidem multo magis nos fatemur obstrictos.

Inst. 3. Si vera homini tribuantur merita; ergo homo in iis potest confidere: sed Scriptura damnat hujusmodi confidentiam; ut patet ex ep. ad Rom. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum;* et ad Galat. 3. v. 10. *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt;* ergo.

R. 1^o. T. M. N. *min.* Per opera enim hic rejecta vel intelliguntur opera propriis naturæ viribus et sine gratiæ auxilio facta, ut patet in textu priore;

vel opera legis veteris quasi ad justitiam requisita, ut in posteriore liquet : sub neutrum vero censum venire opera illa, quæ nos dicimus *meritoria*, constat ex conditionibus ad eadem supra requisitis.

R. 2^o. *N. M.* Juxta Bellarm. L. 3. de justif. c. 7. aliud est virtutem nasci ex meritis, aliud fiduciam esse ponendam in meritis. Propositionem primam veram esse ostendit ex Tob. 4. v. 12., Job. 11. v. 18., ad Rom. 5. v. 3., etc. ac tandem ex ratione spei, quæ non ex sola Dei promittentis gratia, sed ex hominis cooperatione nascitur. Secundam, quod scilicet aliqua fiducia in bonis operibus ex gratia profectis poni possit, probat ab exemplo Davidis, Ezechiae, Estheris, etc. Duas tamen maxime *conditiones* simul exigit : alteram, ut quis compertum habeat merita se habere vere talia; alteram, ut superbia caveatur, nec sibi, sed Deo merita tribuantur.

Unde tandem addit propositionem tertiam, quæ ita habet : Propter incertitudinem propriæ justitiæ et periculum inanis gloriæ, fiduciam totam in sola Dei misericordia reponere tutissimum est; quod ipsum unice, si quid valent, adversariorum objectiones evincunt, quin tamen probent aut homini non totis viribus esse studendum bonis operibus, aut non esse in iis confidendum, quasi veram justitiam non contineant.

447. *Dico III.* Datur meritum *de condigno*, et hujus meriti rationem quoad aliqua saltem præmia participant opera bona justorum. Non est quidem sub his terminis definitum, sed *theologicè* tamen *certum*.

Prob. Meritum *de condigno* est opus bonum, vel quod dignum est præmio, vel cui debetur præmium tanquam merces aut stipendium, vel cui retribuitur præmium secundum quamdam justitiæ æquitatem : atqui tale opus datur; ergo.

Prob. min., quæ quoad 1^{um}. patet ex probatione secunda Scripturæ num. præc. allata : quoad 2^{um}. constat tum ex variis titulis correlativo meriti in Scriptura datis, et num. præc. etiam recensitis; tum ex S. Aug., qui passim docet vitam æternam recte appellari posse *stipendium justitiæ*, quia *debetur*, quia *digne retribuitur*, quia *merito redditur*; vocari tamen ab Apostolo gratiam, quia *illi est gratia, cui gratia est et ipsa justitia*. Demum quoad 3^{um}. *prob.* Nam

1^o. Ad justitiam spectat, ut Deus certis operibus det præmium, ut liquet ex 2. ad Thess. 1. v. 6. *Si tamen* (juxta græcum *εἴπερ*, et teste D. THOMA juxta alias versiones *si quidem*) *justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant : et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus*; et ex verbis ad Hebr. 6. sup. cit. *Non enim injustus ut obliviscatur operis vestri* : unde Hier. in cap. 49. Isaïæ (opp. t. 4. p. 563. edit. Vallars.) ait : *Potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut justis voluntas præmium consequatur*; et Aug. L. de nat. et gr. c. 2. *Non injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ*.

2^o. Deus dat operibus præmium in judicio, et ut judex; 1^{um}. patet ex Matth. 23. v. 34. ubi descripta judicii forma refertur hæc futura judicis sententia : *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, etc.* 2^{um}. ex 2. ad Tim. 1. v. 12. *Potens*

est depositum meum servare in illum diem; et ibid. c. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*.

3^o. Deus servat justitiæ formam et proportionem opus inter ac præmium; ut indicatur Matth. 7. v. 2. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Ibid. 10. v. 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet*; et 1. ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*.

Conf. Quamvis TRID. veritatem hanc expresse non definiat, nec verbis *digni* vel *condigni* utatur, non obscure stat pro hac sententia; tum quia in can. 32. nuper recitato dicit justificatum bonis operibus *vere* mereri gratiæ augmentum, etc.; quæ particula, cum non sit absque causa inserta, significat hoc meritum plus esse, quam congruitatis cujusdam : tum quia in cap. 16. ad confirmationem existentiae meriti adducit testimonia Scripturæ retributionem justitiæ exprimentia : tum quia Pallav. L. 8. hist. Conc. Trid. c. 4. de Theologis Tridentinis ita scribit : *Operibus post acceptam justitiam peractis, adeoque divina gratia informatis, redditisque ob merita Christi potentioribus, cujus vivum membrum effectus est is, qui ea peragit, omnes concedebant rationem meriti condigni ad conservandam augendamque eandem gratiam æternamque felicitatem consequendam*.

Præterea vero cum non nostræ duntaxat ætatis *sectatores* meriti nomen permittant et rationem, si quidem ex sola promissione, non vero ex justitiæ debito dicatur operi dari præmium, sed et tempore TRID. Concilii id concesserint, ut ex disputatione Buceri an. 1546. Ratisbonæ habita liquet; sequeretur nec Concilium contra *Novatores* egisse, nec oppugnatores Hæreticorum errores, sed umbram tantum insectari in hac de merito honorum operum controversia, nisi mens fuerit, aut sit necessitas, asserere *meritum condignum*.

448. *Obj.* Scriptura aperte excludit condignitatem nostrorum operum; ad Rom. 8. v. 18. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam*; et hujus rationem videtur explicare 2. ad Cor. 4. v. 17. *Quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur*; ergo.

R. *ad Arg. D.* Scriptura excludit condignitatem a nostris operibus, si considerentur materialiter, secundum entitatem suam, durationem et reliqua eorum prædicata quasi physica C. Si spectentur formaliter secundum valorem moralem, quem a gratia et statu filiationis habent N. Responsio hæc colligitur ex contextu. Præmiserat enim Apostolus : *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*; postea inferius ait : *Si autem filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen* (scilicet ut consortes illius et fratres per gratiam) *compatimur, ut et conglorificemur*; et mox subjungit : *Existimo enim, quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam*; nempe nisi spiritu Dei moti tanquam filii Dei illas toleremus : quia passionis illæ, præsertim externæ, *in se spectatæ* non habent eam condignitatem; cum illæ, ut in textu ad Cor. explicatur, sint leves et momentaneæ, pondus autem gloriæ sit magnum et æternum.

Inst. 1. Deus ex communi axioma præmiat *supra*, et punit *infra* condi-

gnum : item ab homine nequit fieri debitor mercedis ex justitia ; cum illi nec gratiæ condignæ pro beneficiis ab ulla creatura præstari queant ; ergo.

R. D. A. quoad 1^{um}. Præmiat supra condignum quoad gloriæ intensionem, et forte etiam extensionem C. quoad gloriæ substantiam N. vel *subd.* si plane nulla intervenisset Dei ordinatio C. cum hæc eaque multiplex intercedat N.

Quoad 2^{um}. D. A. Deus nequit ab homine fieri debitor ex justitia absolute loquendo et nulla facta hypothesi C. constituta hypothesi divinæ promissionis N. Possunt enim justii consummato vitæ cursu proferre verba AUGUSTINI serm. 16. de verb. Apost. *Redde, quod promisisti; quia fecimus, quod jussisti.* Vid. dicta superius. Quod negatur de gratiis condignis, pertinet ad eas vel secundum se spectatas, vel acceptatione divina carentes, servata proportione ad ea, quæ proxime de bonis operibus dicebamus.

Inst. 2. Omne opus bonum est Deo aliunde multis titulis debitum, et præterea neque a gratiæ datore tanquam extrinseco, neque ab ipsa gratia sive actuali, utpote peccatoribus communi, sive habituali, utpote quoad speciem non distincta a priore, condignitatem et proportionem ad gloriam habere potest; ergo.

R. Quoad 1^{um}. D. Omne opus bonum est aliunde Deo debitum in actu secundo, ita ut ab illo ex alio titulo etiam actu exigatur, et hinc nullum sit supererogationis opus N. est debitum in actu primo C. sed N. *supp.*, quod ejusmodi debitum obstat merito, ut num. 438. fuit ostensum.

Quoad 2^{um}. N. 1^{am}. et 3^{am}. p. A. In justis enim Spiritus sanctus inhabitat, nec exterius dumtaxat assistit; unde justos *intrinsece* proportionatos et gloriæ dignos reddere, ac virtutem, qua opera tali gloria faciant digna, impertire potest: gratiam autem sanctificantem operibus præstare condignitatem ostendit proportio illius ad gloriam, quæ se habet sicut *pignus* ad debitum, sicut *semen* ad fructum, sicut *fons* ad aquam; unde AUG. enarr. in Psal. 125. n. 11. et 14. ipsa opera vocavit *semina vitæ æternæ*.

449. Dico IV. Datur meritum *de congruo*; et hujus tantum meriti rationem participant opera bona non justificatorum.

Prob. 1^a. p. Dantur plura opera bona ante justificationem, quæ sint apud Deum theologice meritoria: sed non sunt meritoria de condigno, ut ex secunda parte supponitur; ergo. Major exempli gratia declaratur in *fide* et *pœnitentia* tanquam prima et ultima dispositione ad justificationem.

Quoad 1^{um}. enim AUG. ait ep. 103. (al. 194. n. 9) ad Sixtum: *Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori: et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam, qui se humiliat, exaltabitur*; et L. de præd. Sanct. c. 2. n. 4. *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri?* PROSPER L. contr. Collat. c. 3. n. 1. *Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia*; quibus similia habent FULG. L. de Incarn. et gr. (al. ep. 17. c. 18.), et PETR. Diacon. c. 8. in libro ejusdem tituli (al. ep. 16. inter Fulgentianas).

Quoad 2^{um}. vero TERTULL. L. 4. contr. Marcion. c. 18. ait: *Peccatrici pœnitentia, secundum Creatorem meruit veniam præponere solitum sacrificio*; CYPR. L. de Lapsis n. 36. de vero pœnitente dicit: *Lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam*; AMBR. L. 10.

in Luc. c. 22. n. 90. inquit: *Flevit amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suam posset lavare delictum: et si tu veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam; eodem tempore, eodem momento respicit te Christus*; HIERON. L. 2. contr. Pelag. n. 11. *Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.* AUG. in Psal. 50. n. 11. de Ninivitis scribit: *De incerto pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt, etc.*

Conf. 1. Juxta TRID. Sess. 6. c. 6. peccatores disponuntur ad justitiam per actus *fidei, timoris, spei, amoris, pœnitentiæ* et *propositi* suscipiendi necessarium sacramentum et servandi divina mandata; et juxta c. 7. hanc dispositionem justificatio consequitur: sed ejusmodi dispositio omnia habet ad *meritum theologicum* requisita, nec tamen est de condigno, ob defectum personæ Deo necdum gratæ, et informationis per gratiam sanctificantem; ergo.

Conf. 2. Si gratia fidei aut alia exigeret, aut expectaret conatum bonæ voluntatis, ut *Pelagiani* primum, ac dein *Semipelagiani* affirmarunt, gratia daretur secundum nostra merita; quemadmodum sæpius a S. AUG. contra illos gratiæ hostes disputatum fuit, et a Conciliis in hac causa habitis definitum; ergo, cum Deus plures actus virtutum supernaturales exigat, et expectet, ut hominem justificet; hi actus omnino dicendi sunt meritorii saltem de congruo.

Prob. 2^a. pars ex dictis, de conditionibus ex parte operis et operantis ad meritum de condigno requisitis; ex quo etiam capite, nisi sermo sit de operibus naturalibus, fit, quod CONCILIA et PATRES operibus ante justificationem factis meritum aliquando non tribuant, aliquando etiam negent; utpote qui pro specie nobiliore, seu merito de condigno usurpant frequentiore etiam in aliis phrasi genus, seu meritum simpliciter tale.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM MERITI THEOLOGICI?

450. Nota. Objectum meriti theologici, seu præmium supernaturale, quod per actus bonos meremur, secundum triplicem classem distingui potest; aliud enim pertinet ad dona gratiæ *actualis*, aliud ad dona gratiæ *habitualis*; aliud ad dona *gloriæ*. In 1^a. classe spectari solet tum gratia prima, tum secunda, eaque maxime congrua seu efficax: in 2^a. consideratur tum gratia ipsa sanctificans seu primo conferenda, seu post lapsum reparanda, tum gratiæ sanctificantis augmentum, tum conservatio et perseverantia finalis in eadem: in 3^a. demum attenditur ad gloriam, sive essentialem sive accidentalem tam secundum se ipsam et quasi substantiam, quam secundum augmentum.

451. Dico I. Nemo ullatenus gratiam actualem primam, aut *condigne* gratiam secundam efficacem mereri potest: posteriorem tamen tam peccator, quam justus potest *congrue* mereri.

Prob. 1^a. p. Meritum, quod præcedit primam gratiam, ex supposito est sine gratia, ac proin *mere naturale*: sed tali non debetur præmium super-